

*Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.*

## **I. Übersetzung**

### **Ein Nachruf auf den Redner Quintus Hortensius**

1 Quoniam perpetua quadam felicitate usus ille<sup>1</sup> cessit e vita suo magis quam  
2 suorum civium tempore et tum occidit, cum lugere facilius rem publicam  
3 posset, si viveret, quam iuvare, vixitque tam diu quam licuit in civitate bene  
4 beateque vivere, nostro incommodo detrimentoque, si est ita necesse,  
5 doleamus, illius vero mortis opportunitatem benevolentia potius quam  
6 misericordia prosequamur ut, quotienscumque de clarissimo et beatissimo  
7 viro cogitemus, illum potius quam nosmet ipsos diligere videamur.  
8 nam si id dolemus, quod eo iam frui nobis non licet, nostrum est id malum;  
9 quod modice feramus, ne id non ad amicitiam sed ad domesticam utilitatem  
10 referre videamur: sin tamquam illi ipsi acerbitatis aliquid acciderit angimur,  
11 summam eius felicitatem non satis grato animo interpretamur. etenim si  
12 viveret Q. Hortensius, cetera fortasse desideraret una cum reliquis bonis et  
13 fortibus civibus, hunc autem aut praeter ceteros aut cum paucis sustineret  
14 dolorem, cum forum populi Romani, quod fuisset quasi theatrum illius  
15 ingeni, voce erudita et Romanis Graecisque auribus digna spoliatum atque  
16 orbatum videret. equidem angor animo non consili, non ingeni, non  
17 auctoritatis armis egere rem publicam, quae didiceram tractare quibusque  
18 me adsuefeceram quaeque erant propria cum praestantis in re publica viri  
19 tum bene moratae et bene constitutae civitatis. quod si fuit in re publica  
20 tempus ullum, cum extorquere arma posset e manibus iratorum civium  
21 boni civis auctoritas et oratio, tum profecto fuit, cum patrocinium pacis  
22 exclusum est aut errore hominum aut timore. ita nobismet ipsis accidit ut,  
23 quamquam essent multo magis alia lugenda, tamen hoc doleremus quod,  
24 quo tempore aetas nostra perfuncta rebus amplissimis tamquam in portum  
25 confugere deberet non inertiae neque desidiae, sed oti moderati atque  
26 honesti, cumque ipsa oratio iam nostra canesceret haberetque suam  
27 quandam maturitatem et quasi senectutem, tum arma sunt ea sumpta,  
28 quibus illi ipsi, qui didicerant eis uti gloriose, quem ad modum salutariter  
29 uterentur non reperiebant. itaque ei mihi videntur fortunate beateque vixisse  
30 cum in ceteris civitatibus tum maxime in nostra, quibus cum auctoritate  
31 rerumque gestarum gloria tum etiam sapientiae laude perfrui licuit.

---

<sup>1</sup> sc. Q. Hortensius

## II. Sprachliche Erläuterungen

1. Analysieren Sie den Stil des Textes.
2. In welcher Zeitsituation ist dieser Nachruf geschrieben? Wer ist der Autor?
3. Was bedeutet für den Römer **otium honestum**?